



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 1. Ad iudicium Dei prouocantium diuersæ sortes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

uitio, & se periculo exemit. Nonne his talibus *Sors* exitiosa fuit? Tuo, ô Deus, iudicio fuit, qui odisti *observantes vanitates superuacue*. Ego autem in Domino speravi: exultabo & letabor in misericordia tua. Plura de omine sacro & licito, ac profano & illicito & superstitioso reperiet lector apud Pererium.

Pfal. 30.

7.

Perer. in
c. 24. Ge-
nes. vers.

13.

CAPVT. IV.

An Deus aliquorum innocentiam, vel iustitiam declaret, qui aduersarios suos, ad vallem Iosaphat citant, aut qui ad diuinum iudicium pronocant?

§. I.

Ad iudicium Dei pronocantium diuersæ Sortes.

Pertinent ad *Politicas sortes* etiã *exploratorie probationes*, quibus fortuito euentui veritas culpæ vel innocentie permittitur decidenda; & sæpe, non sine euidenti miraculo, deceditur. Inter has iudiciarias disquisitiones, est etiam illa vna, qua se se homines, mutuò, in *vallem Iosaphat*, & ad diuinum tribunal solent citare. In qua citatione vel damnandâ, vel imitandâ, homines possunt committere re-
meri.

meritatem. Sæpe enim eiusmodi citatio à Deo est, sæpe contra Deum: sæpe contemni debet, sæpe formidari: vt enim vel licita est, vel iniuriosa; ita supremus iudex, per eam, vel vult, vel non vult iudicia sua manifestare. Sunt etiam duplicis generis homines, qui hac prouocatione vtuntur, rei & innocentes; sancti & impij. Duplex etiam, generatim loquendo, est finis, bonus & malus. Et modus quoque ipse non est idem. Aliquando ad iudicem Deum absolutè duntaxat appellatur; aliquando iubetur aduersarius ad tribunal eius, intra certos dies, menses, aut annos; aliquando, nullo certo tempore nominato, se sistere. Cum ergo impium sit, sanctos temeritatis damnare, qui subinde tyrannum, aut alios, ad comparendum, coram Deo; citauerunt; & stultum, quauis ex causa, ad summum iudicem prouocare: afferam primò causas, & exempla licitæ, postea etiam illicitæ citationis, ob quã Deus iudicij sui arcana mortalibus vel negauit, vel patefecit.

§. II.

Causa, ob quas ad Deum summè oppressi, licite possint prouocare.

Qui innocentes iniuriã afficiuntur, & vitã di-